DISSERTATIO CHRONOLOGICA De NATALI MUNDI,

Quam

In Illustri Academia WITTEBERGENSI


D. T. O. M. A.

PRÆSIDE

M. ÆGIDIO STRAUCHEN
S. S. Theolog. Studiosô,

ad placidam συμφιλολογίαν
proponit

PAULUS HOFMAN Uratislaviensis,



Ad d. 15. Dec. fer. 4. Horis matut.

ANNO
Per. Constant. 7160.
P. Jul. 6365.
P. Jud. 5413.
A conditu Mundi 5602. &c.

WITTEBERGÆ

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
MDC LII.

Qvod DEUS *benè vertat!*

QVam orbis adorat, cui Oceanus decedit, *Romæ incolæ*, annô qvô orti primùm, *Romulô* condente urbem, faſtos ſuos ſignabant, qvo qvisqve Cæſarum, Principum ac Regum, Imperii faſces vel obtinuiſſet, vel paulò obſcurius qvoqve ſplendidiores reddidiſſet, curioſâ ſæpè ſedulitate annotârunt adulatores.

Qvanto magis nos de ORBIS TOTIUS NATALI ſolicitos habere curam decet, cum univerſali beneficio tunc frui datum ſit, faſti qvoqve cum faſcibus tunc primùm cœperint. Qvô qvis ſit natus, pudet neſcire: atqvo omnes nati ſimus tempore cum tempore æqvo animo neſcire velle pro parte ſapientiæ humanæ ignorantiæ mancipia habent. Scilicet veritas ſœpè latet in profundo, ſui Studioſos per ambages beat, qvas qvi faſtidit de ipſa potius ambigit. Fabularum inde Voluptas hiſtoriã abegit. Secus nos, nihil circuitu uſi, methodô, qvoad poſſumus, facili veritatem circa hujus Epochæ conſtitutionem indagabimus, mox falſitatem refutabimus; Præmittentes illud feliciſsimi Chronologici ſtudii Athletæ, *Scaligerum* volo: *Infinita res Epochæ & intervalla temporum, ſed in qva materia nulla juſtior venia ſit, ſiqvidem nullius eſt, ut omnia noſſe, ſic omnia literis complecti.* Qvod prudens Scaligeri dicterium in defenſionem noſtram totum compoſi-

positum esto. TU PATER TEMPORUM ANNUE CLEMENTER!

PUNCTUM PRIMUM
Exhibens THESIN.

Mundus conditus est anno P. Constantinopolitanæ 1559, Julianæ 764. primô in Jobelæo & Sabbatico pariter Cyclo proleptico, die primâ Thisri circa & novilunii & æqvinoctii autumnalis medii tempus &c.

PUNCTUM SECUNDUM
Exhibens HYPOTHESES.

HYPOTH. I. *Annus Patriarcharum tempore, vel solaris tropicus, vel talis tamen fuit, qvi aliqvando cum hoc, & conseqventer Juliano qvoq; paria faceret; At Lunæ-Solaris minimè obtinuit.*

§. 1. De hac ipsa hypothesi dubium inter Chronologos autoritate qvâdam pollentes nullum esse potest, licèt præcise in determinanda qualitate, qvantitateq; qvædam obtineat discrepantia. Scilicet è Gen. c. 7. & 8. constat qvinq; menses completos anni Patriarchalis 150 dies, & per conseqvens unum mensem triginta dies continuisse. Commemorat enim Moyses Gen. c. 7, v. 11. diluvium die 17 secundi mensis cœpisse, post decursum vero 150 dierum, aqvarum copiam paulisper decrevisse v. 24. & c, 8. 3. qvorum Dierum ultimum 17 septimi mensis fuisse, idem testatur. v. 4. Si jam mensibus prioribus qvinqve 30 adscribantur dies, seqvitur & reliqvos septem tot decurrisse diebus, additis qvinq; è gentis indole finalibus, quos Epagomenas vocârunt. Notum vero est mensem Luna-

rem

rem è 29 diebus, 12 Horis cum scrupulorũ appendice, annum v. lunaré communem è 354 diebus, 8 Horis & scrupulis qvibusdã adhærentibus, Embolimæum deniqve annum è 383 diebus, 21 Horis &c: constitisse. Qvarum qvantitatum neutra cum qvantitate mensis antiqvi antidiluviani convenientiam ullam habet.

§. 2. Ut adeo dolendum sit *Dn. Wilhelmum Langium* acrem κενοδοξίας morbum usq; adeo invasisse; ut Cap. VI. Cercopitheci sui, qvé de ANNIS CHRISTI inscripsit, asserere non dubitaverit, *Annum Patriarcharum talem fuisse, ut menses à prima Φάσει inciperent, si Φάσις haberi poterat, sin minus, tum XXXI, à priori Φάσει dies, primus mensis seqventis esset: Annus vero à messe dependeret, qvæ si XII mense expletâ, nondum matura esset, integer mensis adderetur annô, adeoq; tredecim mensium annus esset.* Hactenus Langius Scaligero contradicendi studiô, sed infelici. Qvis enim vel fando audivit in anno Lunari qvinqve menses continuò plenos se conseqvi potuisse? Qvis Langium certum reddidit phantasticas istas Φάσεις circa diluvii tempus observatas fuisse? Autorum qvos citat novitas suspecta, neqve Langii sententiam per omnia confirmant, tantum abest ut Scaligeri ratiociniũ è Scriptura petitum suspectum reddere qveant. Qvis credat Patriarchis, qvod inconvenienter Langius asserit, motus Solis & Lunæ haud fuisse cognitos? Qvis mensis Lunaris qvantitate constituenda spatio qvinqve mensium Noachum biduô aberrâsse? Qvis Spiritum Sanctum erroneum hunc calculum in Scripturis extare voluisse? Credat hæc Judæus Apella, Scaligeriani nunqvam hæc sibi persvadere poterunt. Ut jam nihil

addam calculum Langianum à vitiis aliis haud immunem esse.

§. 3. *Scaligeri* itaqve, *Calvisii*, *Dni D. Behmii* aliorumq; Scaligerianorum verior sententia est, *annum diluvianum, i.e. 12 mensibus τριακονθημέροις & 5 ἐπαγομέναις seu appendicibus diebus*, hoc est, *è 365 diebus constitisse, seu rationis qvantitatis annus Nabonassari cum fuisse; Patriarchas verò cum æqvinoctia & Solstitia hâc ratione, per omnes talis anni dies, spatio 1460 annorum vagatura esse facile intelligerent intercalandi ordinem hunc observasse, ut centesimum vigesimum qvemq; annum non 12 sed 13 mensium τριακονθημέρων*, hoc est *395 dierum fecerint, atq; hac ratione anni initium ad primum terminum revocaverint, mobilemq; alias, immobilem reddiderint.* Qvæ sententia si obtinuerit, ultro seqvetur 120 annos Patriarchales æqvales fuisse 120 annis Julianis; Nam qvemadmodum in illis, ita etiam in his, 43830 dies colligi possunt.

§. 4. Etsi vero in hanc sententiam rectè allegentur verba Gen, cap. 6, v. 3. extantia, ubi Deus mundo pœnitentiam prorogat *ad 120 annos, qvod temporis spatium procul dubio Patriarchis seculum dedit*; Etsi porrò pro hac sententia, vetustissimorum populorum, puta *Chaldæorum*, *Persarum*, *Ægyptiorum*, aliorumqve tempora computandi mos facere videatur, subdubitat tamen de ejusdem veritate *Clarissimus Dn. M. Franckenberg. Histor. Prof. P. celeberrimus*, *Præceptor noster æviternum colendus*, tum in *Elementis*, qvæ vocat, Chronologicis, tum in *Compendio* brevi lucem visuro publicam, haud levi motus conjecturâ, qvam libet genuinis Autoris verbis proferre: *At*, inqvit, *hâc anni formâ positâ nihilominus æqvinoctia & solsti-*

ſolſtitia ſingulis 130 vel 131 annis unò die Patriarchis anticipaſſent. Unde æqvinoctium autumnale medium, qvod in initio mundi 26 Octobr. contigit in anno diluvii in diem 13 Octobris, ipsô Scaligerô, Calviſiô & Petaviô ita computantibus incidit: qvæ ἀταξία, à Patriarcharum Mathematicarum & Aſtronomicarum diſciplinarum Studioſiſſimorum, & proinde à DEO longævitate maximâ præditorum, prudentia, videtur aliena. Hactenus Excell. Franckenberg.

HYPOTH. II. *Dies conditi mundi ad Cardinale aliqvod punctum cœleſte, nimirum vel ad æqvinoctium alterutrum, vel ad ſolſtitium referendum alterutrum. At pro autumnali firmisſimæ rationes pugnant.*

§. 5. Prior Hypotheſeos pars, cum iſtis terminis motus Solaris concludatur, extra controverſiam eſt poſita. Qvilibet enim Chronologorum vel verno tempore, qvod plurimis, tam recentiorum, qvam veterum placet, vel circa Solſtitium æſtivum, qvod *Gerbardo Mercatori* arridet, vel deniqve autumnali tempore cum Illuſtriſsimis Viris *Scaligero & Petavio* Natalem Mundi celebrat.

§. 6. Eſſe vero Autumnale tempus excluſivè legitimum (qvæ hypotheſeos pars erat altera) probandum ante omnia eſt. Hinc producimus nos in hanc rem *Primò, conſvetudinem Patriarcharum*, qvos ante Exodum cum autumno annum ſuum inchoaſſe certum eſt ex Ex. 12, v. 2. qvò in loco peculiari ſanctione Dei, recepta apud Judæos conſvetudo immutatur, ita ut ראשׁ השׁנה caput anni ex Autumno in Ver transferatur, qvâ ſanctione opus non fuiſſet, niſi diverſo tempore antea, Patriarchæ, traditione ſcilicet

à prin-

à principio Mundi usqve conſervatâ & obſervatâ, permoti, annum ſuum inchoaſſent. Idem conſtat ex Exod. c. 23,16. qvô in loco autumnus צאת השנה dicitur ſicuti c. 34. 22. תקופת השנה vocatur. Qvæ itaq; temeritas eſt asſerere in tota Scriptura V.T. autumnales menſes nunqvàm primos vocari, & tantâ qvidem confidentiâ, ut tripodem Apollinis de hac re *Langium* conſuluiſſe primô intuitû ſuſpicarer! Scilicet audaciæ opus erat tam confidenter opinari. Notamus *ſecundò* Πανολεθρίαν *Mundi per* κατακλυσμὸν *univerſalem hôc anni tempore accidiſſe*, ceu exactiſsimus Hiſtoricus Moſes ipſe teſtatur, menſe ſecundô aqvas incrementa ſumſiſſe. Gen. c.7, v.11. asſerens. In qvem locum *Joſephus* LIB. I. Antiqvit. Jud. cap.4. ſeqventia commentatur: *Contigit hæc vaſtitas annô principatûs Noæ ſexcenteſimô, menſe ſecundô, qvi Dius à Macedonibus vocatur, ab Ebræis Marcheſvan. Sic enim Ægyptii diſtinxerant annum. Moſes autem Niſan, qvi eſt Xanthicus, menſem primum in ſuis faſtis ordinavit, qvod in eo Ebræos ex Ægyptô eduxiſſet, eundem etiam omnium, qvæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit.* Si jam menſis ſecundus Marcheſvan, primus proculdubio Thisri fuit. Si Mundum per 1656 ſolidos annos incolumem ſtetiſſe & demum in autumno, annum à conditu Mundi 1657 incipiente, πανολεθρίαν paſſum eſſe, certum eſt, ſeqvitur, & in autumnali tempore mundum conditum eſſe.

Tertiò: Non inconcinnè huc *annorum Sabbaticorum & Jobelæorum inſtitutum refertur*, qvippe qvorum initium vi ſanctionis divinæ in autumnum incidit. Lev. 23,27. c.25,19. At annum qvietis terræ poſt ſextū & qvadrageſimum octavum viciſsim celebrandum hi bini

Cycli

Cycli notare debebant, qvod suum officium, ut accuratè exeqvi valerent, idem, cum Mundo, principium habuisse ipsos necesse est. *Qvartò* urgere solent alii non ineptè *Lectionis Bibliorum V. T. receptam inter Judæos antiqvissimam consvetudinem*, qvà cautū est, ut primum Geneseos caput, historiam creationis Mundi continens, mense Thisri prælegatur, & prælectum fuerit. Vide *Dni D. Behmii* Manud. Chron. L. 1. Tit. 1. *Calvisii* Chronol. Isagog. c. XXXIV. & *Langium* hic nobis molestum de Annis Christi L. II. c. II. cujus exceptiones reservamus discursui.

HYPOTH. III. *Mundus conditus est vel circa novilunium, vel circa plenilunium. At qvod circa novilunii tempus, naturæ magis consentaneum videtur.*

§. 7. Urgent hanc temporis circumstantiam pariter Chronologi ad unum omnes, si *Helwigium* & qvod de *Cluvero* tradunt, excipias, at omnes & singulos ne intelligere qvidem rectè hypothesin hanc firmiter mihi persvasi. *Scaliger, Buntingus*, Scaligegeriani cœteri novilunium urgent, *Petavius* cum asseclis plenilunium. Optimè hic, ceu aliàs pessimè, *Codomannus, qvartò demum creationis die novilunium accidisse asserit.* Principia temporis vi divinæ institutionis sunt luminaria, sint qvoqve Mathematicis de tempore sollicitis. *Hinc qvoties nos æqvinoctii & novilunii feriæ qvoq; characterem laudamus, toties de qvarto creationis die sermonem esse recordari velit benevolus Lector.* Nunqvam enim animum inducere potui meum de primo creationis die agendum esse, qvando de Natali mundi qværitur. At qvid opus his speculationibus? Tempus cœpit cum Luminaribus, ergo & circumstantiæ temporis. Mundum circa Novilunii

& æqvinoctii tempus creatum eſſe aſſerimus, primam creationis diem feriam primam æqvinoctiô & noviluniô conſpicuam fuiſſe, nunqvam credidimus. Ordinis autor DEUS eſt? Et nos dicimus certô ordine, cardinalibus in punctis temporis principia à DEO producta eſſe. Ante mundum conditum tempus non fuit hiſtoricum, ſed nec ante qvartum creationis diem tempus propriè ſic dictum erat; qvin potius QVANDO. Paradoxon hoc eſto! Urgemus Dei verba: יהי מארות ברקיע השמים להבדיל בין היום ובין הלילה והיו לאותות ולמועדים ולימים ושנים En ante qvartum creationis diem nec Tempus ſtatutum ac determinatū, nec noctis ac diei proprie ſic dicta intervalla, nec dies nec anni extitêre, & finge tu tempus extitiſſe. Uter qvæſo magis abſurdus eſt, an qvi negat novilunii vèl plenilunii characterem primo creationis mundi diei, an qvi Soli Lunæq; primùm conditis competiiſſe negat? Feriarum exiſtentia à Sole Lunaq; dependet, religioſa celebratio ac ſanctificatio mandato Dei originem debet. Niſi qvis *Ubbonem Emmium* ſeqvi velit, qvi characteres Theſi noſtrâ nominatos non ipſi Natali mundi qvin potius primo poſt Sabbatum diei competiiſſe ingeniosè aſſerit, ſeqventia enim verba ejusdem in Canone Chronico ad 764. P. Jul. annum leguntur: *Caput æræ conditi mundi pertinens ad diem 26 Octobr. Julian. in ſerie annorum Julianorum in anteriora porrectorum, qvi dies primus fuit à Sabbato, qvod egit JEHOVA abſolutô creationis opere, incboans hebdomadem primam mundi jam perfecti, qvô eodem die conjunctio prima Solis & Lunæ facta prope æqvinoctium.*

§. 8. Novilunium verò hic pleniluniô commodius

dius eſt omninò. Sic enim Protoplaſti, qvos 28 Octobris à nobis, à Scaligero 31 Oct. natos eſſe creditur, conſpexerunt Lunam corniculatam primùm & ante primam qvadraturam, hinc ſeqventibus diebus usq; ad plenilunium (qvod tamen ab ipſis in ſtatu innocentiæ conſtitutis forſitan non fuit obſervatum, qvippè cum ſtochaſticè qvidem perſvaſi ſimus protoplaſtos decimo Thisri die, ob id feſto Expiationis notabili, ê ſtatu innocentiæ excidiſſe) magis magisq; auctam, cum econtra pleniluniô Natalem mundi conſpicuum fuiſſe ſi aſſeratur, Protoplaſti eandem Lunam primò decreſcentem & hinc accreſcentem ordine ferè retrogradô conſpexere.

TERTIUM PUNCTUM

ἈΠΌΔΕΙΞΙΝ

Exhibens.

§.9. His jam præmiſsis de veritate Theſeos noſtræ dubiũ nullum ſupereſſe poterit, qvippe cum per hos characteres, ita qvidem limitetur annus Nativitatis Mundi, ut nullus omninò ſit, qvi iisdem qvoq; gaudere qveat. *Argumentamur enim:*

Qvæcunq; ſententia Natalem Mundi figit (1) *in talem diem, qvæ & feria prima, & Noviluniô & æqvinoctiô autumnali eſt conſpicua,* (2) *in talem annum, qvi per 1656 ſolidos annos à diluvio remotus & ſimul primus in Cyclo Sabbatico pariter & Jobelæo eſt, cum intervallis qvoqve tam partialibus, qvam totalibus* (in ſeqventibus forſan DEO dante demonſtrandis, hic ratione τȣ̃ ὅτι tantum proponendis) *ſi regreſſus inſtituatur, convenit,* &c. *Ea ſententia pro veriſſima omniumq; optima habenda eſt.*

At nostra sententia in Thesi proposita, Mundum scilicet annô Per. Jul. 764, die 26 Octobr. conditum esse asserens, est talis, cui cōditiones laudatæ ex æqvo omnes conveniunt.

E. nostra sententia in Thesi proposita, qvâ Mundum anno Per. Jul. 764. Die 26 Octobr. conditū esse asserimus, omnium optima ac verissima est.

§. 10. MAJORIS Propositionis veritatem astruunt Hypotheses præmissæ, hinc neq; de eadem dubitare alicui licet. Etsi enim forsitan dies alius, forsitan & annus alius sit dabilis, cui characteres laudati similiter competunt qvidam, omnes tamen diversô ab hoc anno ac diei competere, impossibile prorsus est, cum contra iidem characteres non disjunctim, sed conjunctim sint considerandi, nec à se invicem divellendi, qvò certi qvid ex iisdem concludatur. Admissis ergo Hypothesibus præmissis, veritas non tantum facili negotio adstrui, sed & falsitas labore ac sudore haud copiosiori destrui poterit; cum reciprocè & affirmativè & negativè vera sit propositio.

§. 11. MINOREM calculus probat, qvam subjungere Typographi vetat ignavia, hinc propriæ cujusvis Lectoris industriæ hanc spartam commendatam volumus.

§. 12. Unicum tantùm, idq; facilè primarium dilucidabimus membrum: Circa anni conditionem determinandam dictum est eundem cum intervallis tàm partialibus, qvàm totalibus in seqventibus DEO dante, demonstrandis, si regressus instituatur, convenire. Ratio seu methodus hæc est: Annis Per. Julianæ completis 763 & 9 mensibus ad conditum Mundi usqve ex mente Scaligeri elapsis, ab annis P. Jul. 4713 completis ad Epocham Christi

Diony-

Dionysio-Bedianam omnium consensu elapsis, subtractis, manent anni completi 3949 & 3 menses à conditu Mundi usq; ad Epochæ Christianæ initium elapsi. Qvod intervallum majus & totale constituunt qvoq; intervalla seqventia minora, eaq; historiæ utriq; & præsertim Sacræ per omnia consentanea:

Elapsi sunt	Anni	Menses
A Conditu Mundi ad Exodum usq;	*2452.*	*6.*
Ab Exodo ad ædificationem templi	*480.*	*1.*
Ab ædificatione templi usq; ad ejus excidium	*427.*	*3.*
Ab Excidio usq; ad Epoch. Christi Dion. initium	*589.*	*5.*
Ergo à Conditu Mundi ad Epoch. Christi.	*3949.*	*3.*

§. 13. Hæc demonstratio seu ἀπόδειξις fundatur in illo *Euclidis* LIBRI I. Postulato tertio: ἐὰν ἀπὸ ἴσων ἴσα ἀφαιρεθῇ, τὰ καταλειπόμενά ἐστιν ἴσα. *Si ab æqvalibus æqvalia ablata sint, qvæ relinqvuntur, sunt æqvalia.*

Æqvales enim sunt

P. Jul. Anni	*4713.*	*Mens. 0.*	*& Mundi*	*3949*	*& 3*	*Menses.*
Æqvalis summa	*3949.*	*3.*	*auferatur.*	*3949.*	*3.*	
Residuum	*763.*	*9.*		*0.*	*0.*	

ergo æqvale erit qvoq;. Id est, elapsi sunt de Periodo Juliana, usq; ad Mundi Conditi Epocham præcisè 763 anni & 9 menses completi. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 14. Hinc seqvitur porrò, *A dato qvovis Per. Jul. anno pro anni Mundi respondentis mensibus tribus prioribus 763 annos, at pro posterioribus novem 764 annos subtrahendos esse, residuum enim annum Mundi dato P. Jul. anno respondentem manifestabit.* Et contrà, *Si mundi annus detur, per additionem ejus-*

dem annorum summæ facili negotio Per. Jul. annus respondens inveniri poterit. Exempli gratiâ, præsens annus Christi 1652 (additis methodô perpetuâ 4713 annis) est annus P. Jul. 6365, ergo mundi annus 5602 hoc ipso anno P. Jul. circa autumnum cœpit, finiendus in anno seqventi. Similiter annus Mundi 1657. qvo diluvium accidit vi regulæ, qvod tres priores menses spectat, est annus P. Jul. 2420, at qvoad posteriores novem, respondet anno P. Jul. 2421. Ut adeò appareat, qvâ ratione qvilibet P. Jul. Christi &c. annus cum binis annis mundi connecti omninò posit, qvæ connexionis duplicitas ne forsitan error ansam præbeat, indicanda erat.

PUNCTUM QVARTUM
Exhibens

ANTITHESIN ET EPILYSIN.

§. 15. Veritas sicuti una & simplex, sic falsitas in-infinita ac multiplex. Decet vero veritatis assertorem eandem non tantùm demonstrare & evincere, sed evictam defendere qvoqve, & ab Adversariorum insultibus salvare. Eandem ergo & nos impræsentiarum observabimus methodum, falsasqve aliorum, veritati hactenus assertæ impudenter contradicentium, Opiniones profligabimus.

§. 16. PRIMA ergò & GENERALIS ANTITHESIS sit *Nicolai Mullerii, Joh. Gerhardi Vossii* in Dissertatione de anno &c. Nativit. Christi & præprimis *Dionysii Petavii* noti nominis Jesuitæ, Scaligeri hostis infensissimi. Horum acumen nimis tenue retunditur, & in se sæpè replicatur, etiam cum agere aliqvid

qvid videntur, pungunt non perforant. Statuunt verò hi: *Annorum numerum, qvi ad hanc ætatem ab orbe condito effluxerunt, nullâ certâ ratione, sed verisimili conjecturâ colligi*, qvam sententiam declarat prolixè, qvem jam nominabam, Petavius LIB. IX. de doctrina Temporum, c. VI. & Rationarii L.II. cap. I. pag. mihi 72.

§:17. ΈΠΙΛΥΣΙΣ. Paradoxon verò hoc Petavio-Mullerio-Vossianum, qvô in limine qvasi deterrere volunt omnes Chronologicam scientiam anhelantes, esse absurdissimum, qvilibet à præconceptis opinionbius liber agnoscet mecum, qvi (1) ad hactenus traditam ἀπόδειξιν attendet, (2) Chronologiam scientiam dici non tantùm, sed esse qvoqve perpendet, (3) Spiritum Sanctum omnis ordinis autorem singulari consiliô procul dubiô conservasse atqve extare voluisse seriem annorum certam, utpote Ecclesiæ ab initio mundi usqve ad finem duraturæ testimonium & decus eximium seriò credet. (4) Incertam hâc ratione omnem non tantùm aliorum, sed & ipsius Petavii, sociorumq; Chronologiam tam sacram qvam profanam fieri animadvertet.

§.18. ALTERA & SPECIALIOR ANTITHESIS sit ejusdem *Petavii*, postqvàm enim eandem Mundi Epocham postulatô, præcedenti Thesi absurditatis convictô, satis dubiam reddidisset, tandem suam qvoque, sed *probabilem* tantùm proponit sententiam Locis citatis his verbis: *Nos ab Orbe condito, ad annum Natalem Christi ex vulgari calculo, elapsos esse* putamus *annos 3983. & p.77. Ration. Igitur Mundus à DEO conditus* videtur *in LIBRÆ cardine, anno P. Jul. 730, autumnô illò, qvi est ter millesimus, nongentesimus, octogesimus*

ſimus qvartus, ante autumnū anni ab Orbe condito 3983, qvô natus vulgò Chriſtus ponitur, qvi eſt P. Jul. annus 4713. Prima dies mundi in 26 diem Octobris incidiſſet, ſi tunc in uſu forma hæc fuiſſet anni, qvô die æqvinoctium ſive medius in libræ cardinem ingreſſus contigit. Hactenus Petavius.

§. 19. ἘΠΊΣΤΑΣΙΣ. Sed reſpondemus nos hunc Petavii diſcurſum non unô laborare abſurdô 1 Falſum eſt inter Epocham Mundi conditi & Chriſti Dionyſianam, *3983* annos interceptos eſſe, contrarium ſupra nos probavimus & Deo dante aliô tempore probabimus ulteriùs. Hic tantùm notetur *fides Jeſuitica in Scripturam authenticam;* 1. Reg. 6, v. 1. diſertis verbis dicitur templum Salomonæum conditum eſſe anno 480 poſt Exodum Iſraëlitarum ex Ægypto. At Jeſuita autoritate Scripturæ ſusq; deq; habitâ, 520 annos inter Exodum & templi ædificationem interceptos eſſe aſſerit. Idem vitium in aliis ipſius intervallis obſervare qvis poterit. II. Falſum eſt diem 26 Octobr. anni P. Jul. 730 vel pleniluniô, vel noviluniô cōſpicuā fuiſſe, concedit hoc ipſum Petavius; hinc 27 demum diei Octobris plenilunium medium, ſive decimam qvintam Lunā adſcribit. At hoc contra Hypoth. III & contra ipſius Petavii ſcopum. III. Falſum eſt eandem 26 Octobr. æqvinoctiô autumnali inſignem fuiſſe, ceu id ex ipſius Petavii tabulis Ampliſs. Dn9 Franckenbergerus in Fundam. Scholio ſecundo B B demonſtrat. IV. Falſus eſt hic Natalis mundi annus, cum utroqve charactere Sacro deſtituatur.

§. 20. TERTIA ANTITHESIS *Dni Wilhelmi Langii* ſit, qvam Lib. II. de Annis Chriſti tractatûs inculcat. Eidem ergo cum celeberrimis, cœtera ſi ſpectes, viris

viris Theologis pariter & Chronologis, ſcil. *Euſebio, Athanaſio, Baſilio Magno, Gregor. Nazianzeno, Ambroſio, Cyrillo, Auguſtino, Damaſceno, Iſidoro, Beda, Philippo Melanchthone, Bucholzero, Buntingo, Codomanno, Luca Oſiandro, B.Hunnio, Chemnitio, Himmelio, Tychone Brahe, Keplero, Longomontano &c.* placet, Natalem Mundi *in vernum rejicere tempus*. Cauſas, qvibus hanc ſuam Anti-Scaligerianam opinionem perſuadeat Autor, nullas invenies, ſi easdem deſideres, tali ſcilicet viro, qvalis ipſe ſibi videtur Langius, dignas. Pudet nos easdem hic proferre, in conflictu forſitan de iis videbimus.

§.21. Sed neq; Tempus anni tantùm reddere dubium ſufficere videbatur acri iſti Chronologorum inſectatori; ipſum annum mutavit inſuper, *Mundum conditum eſſe ajens anno P. Jul. 672 April. XXX. primo die menſis Niſan, feriâ primâ, Cyclo Sol. XXVIII. Lun. VII. Indict. XII.*

§.22. ΕΠΙΛΥΣΙΣ. Palilia ſua celebret Langius, nos pudet tempus immanem hanc ſententiam refutando perdidiſſe, hinc ſumma capita tantùm indicabimus. I. Falſum eſt vernum tempus autumnali in hac controverſia præferendum, cum aliàs neceſſariò ſeqveretur, annos Sabbaticos & Jobelæos qvoad dimidiam ſui partem interruptos hodie obtinere, eosdem enim primitus ab autumno inchoandos & inchoatos eſſe qvoq;, ipſe applaudit Langius, ut cœtera argumenta repetere opus non ſit. . Taceo jam non minoris æſtimationis atq; Autoritatis viros, nobis pro autumnali Tempore militantibus adſtipulantes, puta *Hieronymum, Nicolaum de Lyra, Joſephum, Toſtatum, Dn.D. Jacob. Martini, b. m.* aliosqve. II. Falſum eſt primam Niſan, anno P. Jul. 672. in diem April. XXX. incidiſſe, niſi qvis

Phantaſticam illam & Æſopicam de Phaſibus fabellam reanimare velit. Scilicet Talmudici nonnulli, Cretenſibus Paulinis palmam præripientes, pictis imaginibus Lunæ parvulos ſuos delectârunt. Ergo Moſes Aſtronomus exactiſsimus ruſticam hanc experientiam in tempore determinando Magiſtram agnovit! Anus decrepita ac ruinam minitans ſubinde mercenariis utitur oculis. Ergo & acie oculorum pollens juvencula? Proferat, qvæcunq; velit, Langius teſtimonia, φάσεως calculum recentiores Judæos probaſſe probabit, ſed qvæ intendit, minimè. Prætereà apodicticum meâ ſententiâ contra Phaſes ad minimum Anti Exodicas argumentum præbet eadem Exodi hiſtoria. Dicitur in eadem ſacerq; eſt conſenſus Exodum factum eſſe 15tâ Niſan è Scaligeri mente anno P. Jul. 3217. Calculum ſi qvis non aſpernetur ſubjungere, primam Niſan eo ipſo in anno 2. April. fer. 5 occupaſſe apparebit. At ſi prima Niſan Moſaica fuit 1. April. fer. 5. decima qvinta Niſan itidem Moſaica erit 16 April. fer. qvinta, qvi character feriæ colligitur qvoq; ex Exod. 16. v. 1. & 22. hoc modo: Si vigeſima ſecunda dies ſecundi menſis anni Exodici incidit in feriam ſeptimam, vel diem Sabbaticum, tum primus dies primi menſis erit feria qvinta. Sin verò Phaſis Langiana obtineat, Exodus neqvaqvam 16 April. fer. 5 contigit, qvin potius ad minimum 17 April. fer. 6ta, qvem characterem textus Moſaicus tamen haud admittit. III. Falſum eſt & erroneum inter Epocham M. conditi & Exodum 2538 annos interceptos eſſe. Intervallum idem 2452 cum dimidio annos non excedit. Unde ergo immanis ille 85 annorum pleonaſmus? Scilicet ſimpliciſſimæ Spiritûs S. aſſertioni, Abrahamum ſeptuageſimo ætatis Tharæ anno natum eſſe, fides deneganda, contrà *Lyrani, Beroaldi, Tremellii, Temporarii, Parei, Codomanni & nuperrimi ſcriptoris cujusdam Germanici, accurati Apocalypſeos explicatoris, ſi Diis placet*, magis ad palatum erat ſententia, qvâ aſſeritur *Abrahamum 130 demum ætatis Tharæ anno natum eſſe.* Neq; verò aliorum tantum admirandæ erant fabulæ, novæ potius hinc inde proponendæ. Hinc 25 illi Abrahami anni, qvos forſitan, qvò commentum Langianum ſibi ipſi conſtaret, Abrahamus binis tranſegit vicibus.

§. 23.

§. 23. ANTITHESES COETERAS, ut; connectentium Natalem Mundi, cum anno P. Jul. vel 877 qvod facit *Helvvigius*, vel 661, qvam connexionem *Salianus* excogitavit, vel 663. ceu *Torniellus* vult, vel 746, ut *Buntingus*, vel 754, qvæ *Funccio* placet sententia, vel 786 qvæ *Bervaldo*, vel deniq; aliò qvocunq; tempore & spatio pagellarum exclusi, addere haud possumus, nec operæ pretium esse videtur, qvicqvam in his, rationū pondere destitutis, sententiis refutandis temporis impendere; Qvippe cum si tradita hactenus à nobis observentur, argumenta ἀνασκευαστικὰ de esse nunqvam posint.

Δ. T. Θ.

Ad Per-Eximium

DNUM RESPONDENTEM,

Amicum suum oculisssimum.

Circuriuncula non, nec buttubata, minuti,
Mundi. Natalem *qværere nôsse* Diem,
Qvem benè cum sardet tua mens, HOFMANNE Perite,
Qvis TÊ Scaligeri non velit esse scium?

gratificaturus

Lmq; addebat

M. ÆGIDIUS Strauch.

An Herrn Paul Hofmann/

als er von dem Geburts-Tage der Welt disputierte.

Zu welcher Jahres-zeit der grosse Erden-kreis
samt Himmel / Lufft und Meer vom Höchsten sey gebawet
mit solcher Zierligkeit / daß / wer sie recht anschawet/
sich hoch verwundern muß/ das zeiget uns dein Fleiß/
Herr Hofmann / werthe Lust / wenn dein geübter Sinn
uns öffentlich hiervon mit starckem grunde lehret.
Wer ist/ der Dich darüm nicht billich liebt und ehret?

Gewis

Gewis dein Nahm' ist schon gesetzt zu jenen hin /
die durch des Febus Gunst unsterblich sind gemacht.
Hör / deine Vater-Stad / dein Breslaw / wünscht Dier Glükke /
und giebt dier Förderung / so bald du könst zu rükke /
wormit sie albereit Dich / ihren Sohn / bedacht.

Balthasar Kopisch
von Reichen-bach aus Schlesien.